



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus**

**Lessius, Leonardus**

**Antverpiæ, 1632**

Capvt XXVII. De Deposito & Commodato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

33 Cum conſenſu tamen Superioris poteſt lucrari & perdere, etiam notabilem ſummam; quia eſt contractus oneroſus, qui poteſt Monafterio eſſe vitilis. quamvis peccet, res Monafterij ſic exponendo: & quidem mortiferè, iuxta Nauarrum cap.20.num.9. Si tamen contigerit Monafterium grauitè lædi ex ludo, datur ei reſtitutio in integrum, ſicut in alijs contractibus. De pupillo & minore habente curatorem, dictum eſt ſuprà cap.17. dubit.8. Filiusfamilias pubertatem ingreſſus, ſi habet caſtrenſia vel quaſi caſtrenſia, vel alia à parente conceſſa ad animi oblectationem, vel ad liberam adminiſtrationem, poteſt lucrari & perdere; & qui ab eo lucratus fuerit, non tenetur ad reſtitutionem. ſi autem ſolum habet aduentitia, quorum uſusfructus ſit apud parentem, non poteſt quidem ea exponere in ludum abſque parentis conſenſu; ſi tamen fecerit, & perdidit, probabile eſt, eum qui lucratus fuerit, non teneri ad reſtitutionem parenti aut filio, vt docet Molina diſput. 519. Ratio eſt, quia etiã filius non potuerit dominium horum tranſferre in alterum, (eò quòd adminiſtratio pertineret ad parentem;) tamen quia ad ipſum pertinet dominium directum, poterit victor hæc retinere Iure retentionis, pro debito, quo filiusfamilias manet illi ex ludo, naturali Iure obſtrictus. hoc tamen limitauerim ad eum euentum, quo parens cenſeri poſſit condonare filio uſusfructum, & cedere Iure adminiſtrandi illa bona: vel quando per filium alia ratione compenſari poteſt. Aliòquin ſi parens id, quod amiſſum eſt, repeteret, vel contingeret ipſum velle ſibi reſtitui, deberet reddi; ſed filius teneretur de euctiõne ex rebus ſuis quamprimùm commodè poſſet. Niſi fortè ludo vitio amiſerit; (tunc enim ſicut non tenetur ſoluere, ita neque compenſare ſi fuerit euctum) vel niſi ſe poſſit eximere beneficio reſtitutionis in integrum, quod minori, ſi læſus fuerit, competit vſque ad 29. annum completum; vt dictum eſt ſuprà cap.17. dub.8.

36 Si filiusfamilias non habet quidquam proprii, ſed tantum aliena, quæ ipſe non poteſt in alium tranſferre, & aduerſarius id nouit, neuter poteſt

lucrari: quia contractus eſt irritus, cum vtrique ſit mala fides. Idem dicendum, ſi quis ludat cum eo, quem ſcit deponere rem furtiuam. colligitur ex L. Si in empt. 34. §. Item ſi emptor. de contrahenda emptione. Si autem aduerſarius bona fide putat eſſe rem ipſius, aut ipſi eſſe conceſſam liberam adminiſtrationem; tunc vterque poteſt lucrari, quia contractus eſt validus propter bonam fidem alterius contrahentium; vt colligi poteſt ex L. Rem alienam. 28. de contrahenda emptione. vide dicta cap. 20. dubit. 18. vbi tamen victor ſciuerit, rem, quam lucratus eſt, eſſe alienam, tenetur illam curare reſtitui; ſed tunc filiusfamilias tenetur illi de euctiõne, manetque obligatus ad compenſandum.

Duo tamen hæc ſunt Notanda: Alterum eſt, filiumfamilias, qui à parente ſuſtentatur in aula vel Vniuerſitate, poſſe particulam aliquam ſummæ ſuſtentationi deſtinatæ, ludo honeſto inſumere, nempe 4. vel 5. in centum, vt docet Sotus l.4.q.5. art.2. & Nauarr. cap.20.num.12. Ratio eſt, quia ad alimenta pertinet etiam honeſta recreatio, ætati & ſtatu conueniens, & æqualibus paſſim conceſſa, ſine qua non poſſet decorè & liberè cum ſocijs verſari. Idem ſentit Nauarrus de Religioſo, qui verſatur in ſtudijs, impenſis ſui Abbatis, vel in negotijs Monafterij foris; modò tamen id honeſtæ recreationis cauſa faciat.

Alterum eſt, Eum, qui ſolum quatuor poteſt deponere in ludum, non poſſe ſingulis commiſſionibus ab vno eodemque lucrari pluſquam quatuor; quia debet eſſe par conditio ludentium: niſi alter ſciens conditionem ſocij, cedat Iure ſuo. poteſt tamen amplius lucrari, ſi plures ſint in quos ludit; vt ſi quatuor ludant, & ſinguli deponant quatuor, poterit lucrari duodecim. diuerſis etiam commiſſionibus poterit ab vno eodemque plus lucrari, quam poteſt perdere. cum enim non poſſit perdere niſi quatuor, poteſt lucrificare centum. Ratio eſt, quia fatiſ eſt ad ſingulorum ludorum lucra, vt poſſit alienare quod in quoque ludo deponit. Adde, poſſe etiam deponere quidquid lucratus fuerit; quia parens ad id tacitam facultatem dare cenſetur. vide Nauarrum ſuprà.

## CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

## De Depoſito &amp; Commodato.

Conſtat 6. Dubitationibus.

EXpoſitis contractibus, quibus tranſfertur dominium, dicendum eſt de quibusdam alijs, quibus non tranſfertur: inter quos primò occurrunt contractus Depoſiti & Commodati.

## DVBITATIO I.

Quid ſit depoſitum, quid commodatum.

**R**ESPONDEO & Dico Primò, Depoſitum vocatur & res ipſa, quæ alicui cuſtodienda traditur, & contractus, quo aliquid traditur cuſtodiendum, vt integrum reſtituatur; vt colligitur ex L. 1.

. Depoſiti.

Dico Secundò, Contractus hic re ipſa perficitur: nempe dum res traditur à deponente, & ſuſcipitur à depoſitario: tradere enim vel deponere in domo non ſufficit, niſi alter ſignificet ſe eius cuſtodiam ſuſcipere: niſi fortè ex officio teneatur eam cuſtodire; vt ſunt caupones, ſtabularij, nautæ, & aurigæ; ſufficit enim illis videntibus rem in domo, vel naui, vel curru deponi, teſte Gomezio tom.2. cap.7. num.2.

Dico Tertio, Deponi ordinariè ſolent res mobiles aut ſe mouentes; non autem immobiles, niſi quando eſt de aliqua re immobili controuerſia: tunc enim deponi ſolet apud ſequeſtrum, vt cuſtodiat, & vt fructus eius ſeruetur ei, qui ſuperior fuerit in lite. vide Silueſtrum v. Depoſitum,

fitum, num. 1. Solet autem apud sequestrum fieri depositio, quando neuter litigantium est in possessione rei; aut alter contra Iuris ordinem possessionem est ingressus. Item quando timetur ne alter cum re fugiat, aut eam deuaftet; & in aliis quibusdam casibus.

**4** Dico Quarto, *Commodatum* vocatur tum res ipsa, cuius usus alteri conceditur; tum contractus, qui nihil est aliud, quam rei alicuius quoad solum usum gratuita concessio, vt colligitur §. Item is, Institut. quibus modis contrahatur oblig. hinc patet esse contractum, qui rei ipsa perficiatur.

**Differre à mutuo.** Dico Quinto, *Commodatum* differt à *mutuo*, quòd per illud non transferatur dominium, sitque idem numero restituendum, possitque esse tam rei immobilis, quam mobilis: nam etiam domum nostram commodamus. *mutuum* verò, dominium transfert, & diuersum numero restituendum est, solumque in rebus mobilibus, quæ numero, pondere, vel mensura constant, cernitur.

**A precario.** *A precario* verò, quòd commodatum sit certi temporis, expressi, vel impliciti, ante quod non possit repeti. Expressi, vt si commodem tibi librum ad mensuram. Impliciti, vt si commodem tibi librum, vt eum transcribas: tunc enim implicitè tantum temporis concedo, quantum necessarium est ad describendum commodè; L. 3. & 4. *commodati*. vide Siluestrum v. *Commodatum*, numero 1. Si ante hoc tempus repetas, commodatarius non tenetur. si iniùto extorqueas, teneris illi de damno secuto. *Precarium* verò est reuocabile ad naturam concedentis.

DVBITATIO II.

*Utrum depositarius possit deposito vti.*

**5** **R**espondeo, Non posse, alioquin censetur furtum committere; & si usus sit pretio æstimabilis, (vt est usus equi, vestis, monilis) tenetur soluere pretium: si tamen putetur dominus illud velle. Ratio est, quia usus rei non est ei concessus, sed tantum res ipsa, vt eam custodiat. Idem dicendum de pignore, & de commodato, si quis eo aliter vtatur quam concessum sit; vt docet Couarr. lib. 3. variar. cap. 15. num. vlt.

**6** **Possit vti in tribus** Aduerte tamen, in tribus casibus posse deposito vti. Primo, Si id illi à deponente est concessum. per hanc enim concessionem depositum transit in mutuum, vel in commodatum, hoc ipso quo vti coeperit: in mutuum quidem, si est res vsu consumptibilis, vt pecunia, triticum, oleum: in commodatum, si non est vsu consumptibilis. vide Nauarr. cap. 17. num. 181. & colligitur ex L. Certi conditio. 9. §. vlt. *de rebus creditis*.

**7** **Secundo**, Si depositarius bona fide existimet domino id non displicere: tunc enim non peccaret vtendo, nec furti actione teneretur, quamuis postea constaret domino displicuisse, & deberet usum, domino volente, compensare: quia fur censeri non potest, qui putat se domino non iniùto rem contrectare. ita Couarruuias supra.

**8** **Tertio**, Quando depositum est res vsu consumptibilis, v.g. pecunia, triticum, vinum; & depositarius certus est, se, quando depositum repetetur, paratum habiturum tantumdem eiusdem mensuræ & bonitatis; tunc non erit peccatum, saltem mortiferum, vti deposito, & illud

alienare: quia nullum incommodum irrogatur deponenti. imò hoc credit in eius commodum: quia etiam si res casu, vel culpa leuissima depositarij periret, maneret deponenti salua; aliàs ipsi peritura. Ita Molina disput. 524. Idem docet Siluest. v. *Depositum*, num. 10.

DVBITATIO III.

*Ex qua culpa depositarius teneatur, si depositum perit, vel deterius effectum est.*

**R**espondeo & Dico Primo, Si depositum tantum cedit in commodum deponentis, depositarius solum tenetur ex dolo & culpa lata, non autem ex leui vel leuissima.

**Dico Secundo**, Si verò cedit in commodum vtriusque, tenetur etiam ex culpa leui; vt si pretium pro custodia accipiat, vt patet L. 1. *de depositi*. hinc sartores, molitores, & similes artifices, quibus res aliqua traditur polienda, vel immutanda; item nautæ, aurigæ, caupones, & similes apud quos res deponitur, tenentur ex culpa leui: quia depositio etiam in ipsorum commodum cedit. Imò L. 1. *cit. nautæ*, stabularij & caupones dicuntur teneri ex culpa leuissima. quod sanè probabile est, non solum in foro externo (vt vult Siluest. v. *Nauta*, num. 1. & Angelus, eodem in princip.) sed etiam in foro conscientie, præsertim si quis rem aliquam ipsis expressè tradiderit custodiendam: id enim leges, ad fraudes omnes, quæ à talibus committi solent, excludendas, meritò potuerunt constituere. secus tamen, si quis rem suam, ipsis tantum videntibus, in diuersorio vel naui deposuerit; (quamuis illa lege id significetur:) quia nisi illis specialis cura committatur, cententur cuique rerum suarum custodiam relinquere; idque ob multitudinem accedentium & recedentium, quorum fidem & factum ipsi præstare nolunt. ita ferè nunc est consuetudo.

**Dico Tertio**, Si depositio fiat in commodum solum depositarij, tenetur de culpa leuissima: vt si quis deponat apud aliquem pecuniam, eo sine vt possit illa vti si opus illi fuerit. colligitur ex L. 4. *de rebus creditis*. sic intellige L. 1. §. *Sæpè*. *de depositi*. vbi dicitur: *Si se quis deposito obtulit, idem Iulianus scribit periculo se depositi alligasse; ita tamen vt non solum dolum, sed etiam culpam & custodiam præstet; non tamen casus fortuitos*. Loquitur enim de eo, qui tantum sui commodi causa se obtulit; non autem de illo, qui causa vtriusque, vel deponentis dumtaxat. hic enim non magis tenetur, quam qui se non obtulit: nisi aliud expressè conuenerit; aut nisi diligentissimam custodiam promiserit. vide dicta supra cap. 7. dubit. 8. vbi etiam diximus, non esse improbableem, neminem teneri in foro conscientie, nisi ex culpa graui; nisi aliud expressè sit conuentum.

Notandum est, si quid depositum sit apud Abbatem, vel Religiosum cum consensu Abbatis; idque culpa eius perierit, Monasterium non teneri depositi: quia non tenetur ex delicto Prælati, aut Religiosi. Idem dicendum de deposito apud Episcopum, vel Canonicum. patet ex c. *Delictum*. de regul. Iuris, in 6. & cap. *Episcopum*. 16. quæst. 6. *quia delictum persona, non est in*

damnum Ecclesie conuertendum, vt ibidem dicitur. Si tamen id totum vel ex parte verum esset in commodum Ecclesie vel Monasterij, teneatur quatenus inde commodum percepit.

Petes, Quid si dubium sit, Vtrum depositum vel commodatum culpa depositarij vel commodatarij perierit?

<sup>13</sup> Respond. Si adhibita diligenti inquisitione res dubia maneat, non tenetur; quia in dubio nemo praesumitur delictum facturus. colligitur ex L. Merito. § 1. Pro socio. quod maxime verum est in dubio vtriusque aequali: nam si indicia in alteram partem magis inclinent, potest fieri praesumptio in contrarium: de quo Couarruias Clement. Si furiosus. p. 2. §. 2. num. 1. vbi ex eodem principio colligit, consultorem damno secuto teneri ad restitutionem; quando dubium est, vtrum ex vi consilij secutum sit, an vero auctor suoapte nutu facturus fuerit; quia in dubio non praesumitur quis commissurus delictum. Itaque auctor in illo casu non praesumitur absque consilio male facturus. Confirmatur, quia in dubio aequali censetur indeterminatus: ergo consilium accedens determinauit illum ad alteram partem. secus vero si dubium esset an consilium datum sit: vel si constaret ex ignorantia inculpata datum: quia tunc non teneretur, partim ob eandem regulam, partim quia non intercessit culpa; iuxta ea, quae dicta supra cap. 7. dub. 7.

#### DVBITATIO IV.

*Quando depositori repetenti depositum possit non reddi.*

<sup>14</sup> Respond. Quatuor casibus. Primò, Si petat vt sibi vel alteri noceat; vt si furens repetat ensem.

<sup>Si depositum generatum confiscatum.</sup> Secundò, Si bona eius fisco sint addicta: tunc enim fisco tradenda. colligunt id DD. ex L. Bona fides. § 1. de depositi. Sed ex eo loco non colligitur id esse necessarium. Vnde nisi Iudex bona fisco addicens, venierit, puto illi posse restituere, quia ille adhuc ius ad eam rem habet, cum dominium nondum amiserit. Ita quidam recentiores, & Emanuel Sà, v. Depositum. non tamen puto depositarium ad hoc obligari; sed posse, si velit, ad fiscum deferre, quia etiam fiscus ius habet, vt eam rem sibi vindicet.

<sup>15</sup> Tertio, Quando dominus & fur in repetitione rei concurrunt, non est restituenda furi, qui deposuit. Idem dicendum, si constet rem furto esse sublatam per deponentem: tunc enim ipsi non est restituenda, sed domino; nisi putetur illam repetere vt restituat domino.

<sup>16</sup> Quarto, Causa compensationis: probabile enim est, etiam in deposito locum habere compensationem in foro conscientiae, quando nulla alia ratio suppetit rei sibi debita obtinenda. Idem dicendum de commodato: ita tenet Nauarr. c. 17. num. 11 §. Emanuel Sà, & multi recentiores. Iure enim naturae & gentium potest quis sibi ex qualibet re alterius satisfacere, quando aliter solutionem obtinere nequit. In foro tamen externo haec compensatio non admittitur, sicut nec in commodato: imò neque in rebus diuersae speciei: in quibus constat ex communi Doctorum

sententia, posse fieri compensationem in foro conscientiae. Siluester v. Compensatio, num. 3. cum Panormitano admittit compensationem indirectam in deposito, commodato, & ceteris omnibus. Indirectam compensationem vocant, quia res detinetur donec solutio fiat.

#### DVBITATIO V.

*Vtrum commodatum possit repeti ante tempus, cum damno commodatarij, si commodanti simile damnum impendat.*

Nauarrus cap. 17. numero 182. negat, ratio <sup>17</sup> ipsius est; quia commodans, sua voluntate propria rei vltim concessit, & suam fidem seruare tenetur. Confirmatur ex cap. vnico, de commodato. & ex L. In commodato, 17. §. Sicut. 7. Commodati.

Respondeo tamen, Verius esse, ob par incommodum vel damnum vitandum, posse repeti ante <sup>18</sup> tempus. ita Angelus v. Commodatum, num. 4. Siluester ibidem num. 4. Lopez lib. 2. de contractibus, cap. 34. Molina disput. 294. & alij. Probat <sup>par incommodum, potest repeti.</sup> tur Primò, Quia commodator non censetur talem euentum voluisse comprehendere: si enim de eo rogatus fuisset, expresse negasset. Secundò, Quia locator potest repetere rem locatam ante tempus, si superuenerit euentus, quo res illa ipsi sit necessaria, vt supra cap. 24. dubit. 6. ostensum est: ergo multò magis poterit repeti commodatum, quod gratis concessum est. Haec rationes probant <sup>19</sup> non solum tunc posse repeti, quando commodatarius non potuisset sibi alia ratione prospicere quam per commodatum, vt voluit Angelus, Siluester & Lopez; sed etiam quando potuisset sibi alio modo consulere; & quamuis ita affectus fuisset, vt si sciuisset fore repetendum, non voluisset illud acceptare, sed aliunde petere; vt rectè Molina: quia locator potest expellere conductorem, etiam si conductor rem illam non fuisset conducturus, si id praesciuisset futurum. debet enim commodatarius ab initio, quando illud acceptat, cogitare, posse talem euentum superuenire: ac proinde paratus esse tunc ea re priuari cum suo incommodo & damno: non tamen pacisci expresse; vt quidquid eueniret, non teneatur ante certum tempus restituere.

Ad rationem Nauarri Respondeo: Etiam si sua <sup>20</sup> voluntate rem concesserit, id tamen intelligendum cum hac tacita conditione, Nisi interim contigerit eam commodanti esse necessariam. Quisque tenetur seruare fidem promissorum, quamdiu manet idem status rerum, qui erat tempore promissionis: si res notabiliter mutentur, non tenetur; vt docet D. Thomas q. 110. art. 3. ad 5. & alij Doctores: vt si quis promiserit alteri alimenta, & postea ipsemet incidat in egestatem. si promissisti operam tuam, & interueniat morbus vxoris. si promissisti puellae nuptias, quòd putares illam esse virginem, & postea deprehendis non fuisse. his & similibus casibus reuocatur promissio, eò quòd promissor non censetur eos voluisse comprehendere. Idem potiori ratione dicendum, si quis alteri promiserit aliquid commodandum, vel etiam commodauerit, & euentus superuenerit, quem non intendebat complecti.

Dices,

21  
Donatio.

Dices, Si tibi donem librum aut vestem, & postea contingat eius usum mihi esse necessarium, non possum renocare donationem: ergo neque commodatum; nam in commodato alienatur usus rei.

Respondeo negando consequent. quia commodator retinet dominium rei & ius ad repetendum usum: donator verò non retinet dominium, sed rem omnino à se abdicat. vnde non est mirum si minus Iuris habeat, quàm commodator. deinde non censetur res donari sub hac tacita conditione, vt possit repeti, si donatori opus fuerit. Vbi tamen aliqua tacita conditio, vel ex mente donantis, vel ex dispositione Iuris interuenit, etiam donatio renocari potest, vt patet ex cap. 18. dubit. 14.

DUBITATIO VI.

*Utrum commodatarius & depositarius possint præferre res suas rebus commodatis & depositis, si vtrasque saluare nequeant.*

22 **Q**uidam sentiunt, deposita apud te, vel tibi commodata, causâ solius deponentis; in periculo posse postponi omnibus tuis; si causâ vtriusque, tuis equalibus; si tuâ causâ solùm, tuis pretiosioribus. Ita Angelus v. Commodatum, num. 10. Siluest. nu. 9. Fumus nu. 11. & quidam alij. Sed prima pars huius sententiæ non videtur vera. si enim quis in stabulo tuo deposuerit equum 200. aureorum, contra omnem rationem facis, si orto incendio relinquis equum tanti pretij, vt salnes tuum vitulum, vel vnâ ouem.

Respondeo igitur cum distinctione; vel enim res tua, quæ cum altera confertur, est pretiosior re commodata, deposita, conductâ, &c. vel est minùs pretiosa, vel est æqualis pretij. Nunc

23  
Res pretiosior præferenda.

Dico Primò, Si tua res est pretiosior, potes eam in periculo incendij, naufragij, hostilis irruptionis, præferre rebus tibi commodatis, depositis, conductis, & oppigneratis, est communis Doctorum. ratio est, quia nemo tenetur subire damnum maius, vt auertat alterius damnum minus.

24  
Si in tuum solius commodum.

Aduerte tamen, si res aliena erat apud te, in tuum solius commodum; tunc teneris alteri interitum rei suæ compensare ex rebus tuis. Primò, Quia æquitas non patitur vt alter damnum sustineat, quod tua solius occasione obuenerit, rebus tuis saluis. postulat enim gratitudo, vt ipsum etiam cum æquali rerum tuarum iactura serues indemnem: quæ ratio non solùm de commodato, sed etiam de precario concludit, vt rectè Molina ostendit disput. 296. Secundò, Ad hoc videris te

tacitus obligare, dum illam rem in tuum dumtaxat commodum petis; nam tacitus te obligas ad diligentissimam custodiam; ac proinde teneris eam seruare præ rebus tuis. quòd si res tuæ sint magis pretiosa, poteris quidem eas præferre; sed cum animo compensandi.

Mihi tamen non est improbabile, te non teneri ex iustitia compensare, quia res illa absque tua culpa perit, ac proinde perit domino. Ita Siluester, Angelus, Fumus, supra, & alij: quamuis ex decencia & quadam gratitudine teneris. Certum tamen est, si rem alterius, periculo eripueris, te non teneri ad expensas, ad eam curandam vel reparandam necessarias, si fortè læsionem aliquam ex incendio vel hoste contraxit: quia hanc impedire non potuisti.

Si verò erat incommodum alterius tantùm, vel etiam vtriusque, vt in deposito, pignore, & conducto; tunc non teneris compensare. si enim non in tuum, sed in alterius dumtaxat commodum concessa vel deposita sit, non teneris cum proprio damno illam conseruare: non enim tunc tuâ causâ est in periculo, sed alterius. vnde par non est, vt tu ex ipsius conseruatione damnum reportes. Idem dicendum, si in vtriusque commodum: non enim tunc est ratio, cur alteri potius quàm tibi consulere debeas: in communi enim periculo, ceteris paribus, quisque potest sibi consulere præ aliis. Itaque tunc quæque res domino suo perit.

Dico Secundò, Si res alterius est pretiosior, teneris eam præferre rebus tuis vilioribus, eamque saluare, tuis relictis. Ratio est, quia deposito, commodato, pignori, locato, ea debetur custodia, quam quisque prudens suis rebus adhiberet: quisque autem saluaret res suas pretiosiores, relictis vilioribus.

Hic tamen Aduerte, si res illa erat apud te, tui dumtaxat commodi causâ, non potes exigere compensationem pro rebus tuis: quia cum iactura rerum tuarum, quæ sint minoris vel æqualis pretij, teneris alterum præstare indemnem; cum tantum tui commodi occasione res eius in periculum istud inciderit. Si verò causâ solius alterius, vel vtriusque, apud te erat, potes exigere compensationem: quia tunc non teneris illam cum tuo damno præstare incolumem. vnde et si tenearis saluare rem alterius pretiosiore, id tamen facis cum animo exigendi compensationem in rebus tuis, quas siuisti idcirco perire.

Dico Tertio, Quando res tua & alterius sunt æquales; potes præferre rem tuam, si res alterius est apud te in commodum solius alterius, vel in commodum commune. Si verò est in commodum tui solius, teneris præferre rem alienam, eamque tua relictâ saluare, nec ille tibi debet compensare, est communis sententiâ: patet ex dictis. Cetera, quæ hic dici possent, vide supra c. 7. dub. 8.